

**Disputatio inauguralis medica De febre tertiana simplici / quam ... sub
praesidio ... Frid. Christiani Wincleri ... publico ... examini subjicit Sylv.
Samuel Anhorn.**

Contributors

Winckler, Fridericus Christianus
Anhorn, Sylvester Samuel
Universität Heidelberg.

Publication/Creation

Heidelbergae : Literis Samuelis Ammonii, Anno M DC LXXIX. [1679]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sqd8n8th>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRE TERTIANA
SIMPLICI.

QUAM
AUTORITATE ET CONSENSU
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
IN ANTIQUISSIMA ELECTORALI HEIDELBER-
GENSI UNIVERSITATE,
SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Excellentissimi, Experientissimi,
DN. FRID. CHRISTIANI
WINCLERI, M.D.

SERENISSIMI ELECTORIS PALATINI,
ARCHIATRI, IN CELEBERRIMA HAC ACADEMIA

P.P. & FACULTATIS p. t. DECANI

Mœcenatis, Præceptoris, ac Studiorum Suorum
Promotoris, omni observantiæ cultu suspiciendi,

Summis in Medicina Honoribus, Privilegiis &
insignibus DOCTORALIBUS, ritè & legitime
consequendis,

Publico Eruditorum Examini subjicit,


SYLV. SAMUEL ANHORN,

Helvetio - Sangallensis.

Ad d. XII. Maii. h. & l. solitis.

HEIDELBERGÆ,


Literis SAMUELIS AMMONII, ACAD. Typogr.
ANNO M DC LXXIX.





C A S U S.

Venit Viginti & aliquot annorum, temperamenti bilioso-sanguinei, vigiliis, curis & intensis meditationibus deditus, in regione montosa habitans, estate fervente conqueri cepit de nausea, & vomitu bilis; debilitate omnium membrorum; Tensione hypochondriacum, dolore capitis gravativo & pulsante, catarrhis, haemorrhagiā narium; alternis postmodum diebus subsecutus est rigor, qui ad hiborium extendebatur, & primo lumbos & spinam dorsi, dein membra manus, pedes, frigore mox graviore, mox leviore, tandemque totum corpus aequaliter occupabat. Excipiebat rigorem quatuor circiter horarum calor, acris, mordax, cum dolore capitis punctorio, siti ingente; respiratione difficiili, lingue siccitate, anxietate circaprecordia, & (in progressu) etiam deliriis, vigiliis & lipothymia molestus: Pulsus incipiente rigore erat frequentior, sed debilior, ut tactum saepius effugerit, ubi autem remittebat rigor, redire videbatur velox & magnus: Urina in & ex febrili reddita clara, coloris citrini, aliquando etiam flammæ, sine sedimento: die intermissionis vero, turbida reddebat, & ochre tincturam referebat. Alvis in declinatione erat libera, fæces fætidæ, nigricantes. Solvebantur Paroxysmi sudoribus copiosis, fætidis; Morbi circuitus Viginti & uno Paroxysmis, qui continuo fermè anticiparunt, bis aut ter in declinatione postposuerunt, finiebatur: Ubi tandem boni remedii affectus omnino debellatus, evanuit, & revalescentem, pristinæ sanitati Trophaeum, reliquit.



ΣΤΝ ΘΕΩ

§. I.

SI casum hunc ritè perpendemus, inveniemus ægrum nostrum laborasse *Febre Tertianâ Simplici*; Paroxysmus enim febrilis, consuetis symptomatibus comitatus, tertiatâ quâvis die ægrotum affigebat.

§. 2 Unde verò & quomodo hæc febris fuerit genita non ita cuivis facile est exponere: tot enim magnorum Medicorum de hac febre sunt opiniones; tam plausibiles rationes, quibus quisque suam tuetur sententiam; tam variæ ab Anatomicis accuratioribus inventæ causæ, ut vix scirem, in quam sententiam lubentius descenderem, nisi casus præsens mihi esset satis notus; ita ut dubitare hoc passu ferè nequeam.

§. 3. Constat enim quòd præsens ægrotus ad hunc morbum prædispositus fuerit temperamento; Cùm enim sanguis per se abundaverit partibus Salino-Sulphureis; accedente èa ætate, regione, & parte anni, cum vitiosa diætâ, humores peccantes facile copiosius generari & primo prodromos febris, deinde morbum ipsum, producere poterant.

§. 4. Cùm enim bilem in hujus ægroti temperamento prædominium habuisse constet, & bilis hæc ex mente Willisii, sit nitro-sulphurea pars sanguinis, sive, ut mavult Sylvius, Sallixivus oleosus. &c. & ætas juvenilis, regiomontosa, æstas, vigiliæ, intensæ meditationes & vinum illic hau-

stum,

stum, talem sanguinem accumulârint, auxerint, exaltârint; fructus verò crudi copiosius & diutiùs, quàm par erat assumti, cruditatibus, & pituitæ in sanguine causam dede-rint; credo lubens, ita œconomiam naturalem corporis va-riè conturbatam fuisse, & motum inordinatum sanguinis, nimiamque effervescentiam ejus inde successisse.

§. 5. Vix enim possibile est, quin hoc rerum statu, corporis dispositio naturalis pervertatur, & œconomia ejus variè turbetur;

§. 6. Crudi enim fructus in stomachum nimis copio-
sè & per multum tempus assumti, (si statim succedant, inten-
sæ meditationes, & curæ,) non facile satis concoquuntur,
quin crudum reddunt chylum, fermentum stomachi debili-
tant, & ita parentes fiunt putredinis & pituitæ.

§. 7. Quia verò hi vitiosi humores non omnes ex-
cluduntur ex ventriculo per viam ordinariam: sed partim
adhærent parietibus ventriculi, ejusque orificio nervoso, su-
scitatur inde *nausea*, &

§. 8. *Vomitus*; quia natura tentat expellere onus mo-
lestum, atque adeò per motum hunc convulsivum stomachi
humores noxios excludit; id quod eò faciliùs accidere po-
test in hoc ægro, cùm bilis etiam stagnet in ejus ventriculo,
quæ stimulo, onere & ingrato sapore, vomitum haud
parùm accelerat.

§. 9. Cùm verò vitiosi humores prædicti, non omnes
vomitū ejiciantur: sed partim ad intestina cum chylo defe-
rantur; particulares obstructiones (de quibus postea) pariunt:
cum massa sanguinea mixti, circulationem sanguinis se-
gniorem reddunt, & debilitatem omnium membrorum, ex de-
pravatâ nutritione; sive lassitudinem, onere molesti, & ad
spirituum generationem inepti, causantur.

§. 10. Ex prædictâ materia mórbifica derivamus etiam

Tensionem hypochondriorum; cùm enim in illis partibus stagnare incipiat, & sèpius putrefacat; fermentatio, & ex hac dolor tensivus hypochondriorum, ortum trahere poterit.

§. 11. Cùmque hæc materia circulatione sanguinis etiam in regionem supremam fuerit elevata, copiâ tuâ, *gravitatum*; & vellicatione membranarum cerebri, *pulsantem dolorem capitis* excitavit. Id quod ex observationibus Anatomicis, eorum, qui febribus extinti & prius hoc malo afflitti fuerunt, satis patet; quod nec ipse Sylvius diffitetur, in praxi sua; ubi & hanc causam addit, quòd cùm anfractuosæ cerebri fissuræ, circa regionem temporum adsint, per quas grandes ferantur arteriæ, sanguine hoc æstuante refertissimæ; ibi quoque necessariò major pulsatio & dolor sentiri debeat.

§. 12. Hanc quoque materiam depluentem, catarrhos suscitavisse, quisque facile colligere potest: humores enim acres, in cerebro congesti per nares & palatum haud raro expurgantur; quod experientia & observationes Anatomicæ clarissimè testantur.

§. 13. Quoniam verò sanguis impurus & acris copiosè in arteriis capitis collectus est, illisque in locis ebullit, mirum nemini videbitur, si dicemus, ab ipso arteriolarum hæmorrhodialium nasi oscula fuisse aperta, atque ita guttatum more consueto, effluxisse sanguinem, quæ fuit ipsa *hemorrhagia nasalium*, febrem ægroti nostri antecedens.

§. 14. Successit postmodum paroxysmus febrilis; cùm enim, ut antea diximus, humores pituitosi, in variis infini ventris partibus, obstructiones produxerint, humores ibi stagnantes facile putrescere poterant. obstructæ vero videntur in hoc subjecto fuisse, non saltem venæ mesaraicæ vel lacteæ aliquot, vel etiam soli ductus laterales pancreatis; sed etiam multi ductus biliarii hepatici; unde sanguis putredinali fermento infectus per venas ad cor refluens, spiritum vitalem obtundit,

obtundit, & sanguini aliqualem coagulationem inducit. Ubi spiritus vitalis quasi suppressus, revocans ad bellum spiritus, fibras membranarum & imprimis panniculi carnosí & venarum contrahit; & crassiores humores illuc delatos sensim debellare, exturbare, vel attenuare querit. Unde potissimum subsecutus est *rigor*, qui ad *bihorium extendebat*; quia materia morbifica satis copiosa & crassa aderat.

§. 15. *Rigor primò lumbos & spinam dorsi occupat*. (ex mente Sylv.) quia in tenui intestino humorum fit confluxus. *Mentum, manus & pedes, tandem corpus totum rigor modo levior, modo gravior occupat*; quia spiritus vitalis in illis partibus quasi opprimitur & retrahitur, atque adeò circulatio sanguinis retardatur.

§. 15. *Excipiebat rigorem, quatuor circiter horarum calor, acris & mordax*; quia tandem spiritus vitalis, viscosos humores expandebat; unde bilis, dominium ex mente Sylvii, recuperabat, sanguinis rarefactionem & expansionem adjuvabat, atque adeò calorem & ardorem in corde primùm, deinde & toto corpore, successivè causabatur;

§. 17. *Acris & mordax est hic calor, quoquo versum extensus*; quia prædicta materia vitiosa acris, à compedibus liberata, partes maximè sensibiles mordet, & rodit.

§. 18. Quæ ipsa materia morbifica in capite & in primis in meningibus cerebri, extensa, *capitis doloris punctorii* causa est; ut videre licet ex Anatom. Pract. Clarissimi Boneti lib. 4. sect. i. observat. i. ubi ex pluribus casibus causa doloris capitidis per anatomen cadaverum, revelatur.

§. 19. Hinc etiam succedit *sitis ingens*; quia prædicta bilis corrupta stagnat & effervescit in stomacho & pulmonibus: unde necessariò exsiccatio salivæ, & sitis sequitur.

§. 20. Succedit *respiratio difficilis*; quia eadem materia ferè replet pulmones, atque adeò accendit, vellicat & respirationem sufficientem impedit. Neque enim tantam copiam frigidi aëris pulmones ita infarcti, haurire possunt, quæ æstui temperando sat esset; neque tot calidos & putridos fuligines inde natos satis copiose excludere queunt; ut constat ex *Observat. Anatom. Harvæi de mot. cord. cap. 16.*

§. 21. Inde etiam facile deducitur, *linguae siccitas*; cùm halitus biliosi in fauces assurgentibus, ipsam linguam necessariò exarescere faciant.

§. 22. Eadem etiam causa est *anxietatis circa præcordia*, cùm ibi bilis, ut dictum, etiam effervescat, & angustiam præcordiorum facile excitet.

§. 23. Sequuntur postea etiam *deliria*; quia spiritus quasi accenduntur & inordinatè moventur; unde mens illis quasi turbata, species intelligibiles falsè concipit, atque ægrotum in deliria, ad tempus præcipitem agit.

§. 24. *Vigilias*, ex eadem nimia phlogosi spirituum & sanguinis, & ipsius quoque cerebri exsiccatione, commodè satis deducimus; spiritus enim quiescere nescii, continuis cogitationibus ægrotum somno privant. Id quod clarè satis videre licet in illis qui phrenitide extinguntur, ut Willis de morbis cerebri fusius demonstrat.

§. 25. *Lipothymia*, quæ succedit, poterat partim ob exhaustos & avolantes spiritus, ob ingratum sensum bilis putridæ in corde, vel ob nimiam copiam materiæ morbificæ illic adhuc hærentem, affligere. Sic enim *Harvæus l. c.* in tertianæ febris principio morbifica causâ cor petens, circa cor & pulmones, quando moratur, anhelosos, suspiriosos & ignavos facit; quia principium aggravatur vitale, & sanguis in pulmones inpingitur, incrassatur, non transit. Hoc Ego ex disfectione illorum qui in principio accessionis mortui sunt, expertus loquor.

§. 26. Pul-

§. 26. *Pulsus* incipiente rigore erat frequentior sed debilior, ut tactum saepius effugerit; quia spiritus vitalis, ut dictum, pugnam cum materia morbifica subibat, etiamsi adhuc quasi suppressus erat; & proinde, quod unâ vice non licebat, frequenter repetito pulsu efficiebat: nisi enim frequens sequeretur pulsus, suffocaretur procul dubio ægrotus, circulatione sanguinis impeditâ, ut patet ex jam c. *observ.* Harvæi.

§. 27. *Tactum* saepius super fugit pulsus, tum ob frequentiam æqualem, tum ob massæ sanguineæ segniorem motum, atque adeò debiliorem ictum.

§. 28. Remittente verò rigore redit pulsus *magnus* ac *velox*; quia sanguis ob bilis & spiritus vitalis dominium in corde rarefactus, amplius requirit spatium & acrimonia cor ad velociorem pulsum invitat.

§. 29. *Urina* in calore febrili redditæ *clara*, *coloris citrini* aliquando & flammei, sine sedimento; die intermissionis verò turbida reddebatur, & ochræ tinturam referebat; quia, ut Willis inquit, in Tertiana intermittente urinæ malæ sunt, dum bene est ægro: & è contra. dum enim febris intermittit, urina colore rubicundo saturatur, & frigori exposita crassescit, ac sedimentum instar boli Armenæ deponit: In medio autem paroxysmo, dum calor & æstus maximè vigent, urina laudabilis est: ratio hæc dari poterit, quod in ipso æstu febrili saltem excernatur potus assumptus & morbi-
ficæ materiæ pars magis subtilis & aquosa: partes verò crassiores sepositis prius tenuioribus per urinam & sudorem, sequantur postea & exturbentur, partim in urina illa crassiore, partim in fecibus alvi.

§. 30. Hinc enim *alvus* in declinatione sive discessu paroxysmi erat *libera*, & *faces nigricantes* & *fætidæ* exclu-
debantur; quia combusti quasi humores peccantes sequestra-
ti à massa sanguinea, per victores spiritus animales excludun-

tur; natura enim per cloacam communem eructare quærit o-
nus, & stimulo & odore molestum.

§ 31. Solvebantur quoque prius paroxysmi *sudoribus copiosis* & fœtidis; quia spiritus & sanguis superato jam hoste, ad quietem se composituri, subtiliores partes materiae morbificæ & potūs assumti ad peripheriam devehunt, & dein per poros corporis excludunt.

§. 32. Cùm itaque insignis copia materiae morbificæ dicto paroxysmo fuerit separata & exclusa; cessavit sanguinis ebullitio, dum spiritus & ipsa massa sanguinea ab onere levati quasi requiem capiunt, & ad motum ordinatum redeunt, unde secuta *απυρεξία* five *dies intermissionis*; quâ hoc subje-ctum febrem nullam sensit.

§. 33. Cùm verò fermentum & pars materiae morbificæ in priori paroxysmo fuerint relictæ; (uno enim paroxysmo non reserantur omnes obstrunctiones, nec tota materia morbi-fica cordi affunditur, sequestratur, expellitur) succrescit no-va materia morbifica, quæ à fermento febrili eodem modo corrumpitur; unde *tertiâ die iterum succedit paroxysmus d.m.*

§. 34. Quòdverò tertia & non quarta die paroxysmus fiat in hoc subiecto, id potissimum evenire creditur ex proprieta-te humorum peccantium; quòd nempe bilis cum pituita non nimium viscidâ mixta, obstrunctiones generaverit & computrue-rit; si enim viscidior fuisset humor pituitosus vel bilis ipsa magis crassa, & succo acido copiosè commixta fuisset, ex mente plurium Authorum succedere facilè potuisset febris quartana; licet, ut verum fatear, nec hæc ratio, nec alia hactenus mihi sufficerint, & ignorare mihi videar, unde hæc lex sit na-turæ, ut singulis alternis diebus hæc febris redeat, occultis enim causis id potissimum tribuo.

§ 35. Continuò fermè anticipârunt hi paroxysmi; quia ma-teria subiecta febrilis crassior & viscosior erat, unde vasa citius

citius obturare , & sanguini meatum liberum prohibere potuit , ut sic spiritus vitalis ante consuetum terminum obstatu la amolire fuerit coactus.

§. 36. In declinatione postposuerunt , propter materiæ imminutionem & attenuationem , quâ vasa liberius prætergressa , lateribus eorum non tantâ copiâ adhæsit; itaque sanguini faciliorem transitum concessit , nec tam citò ut prius obstruktiones parere potis erat.

§. 37. Videbatur hæc febris primò exquisitè tertiana , quæ ut plurimùm quarto , vel ad summum septimo paroxysmo terminatur : extensa tamen postea est usq; in vigesimum primum paroxysmū ob vitium diætæ , & ob materiæ morbificæ copiā & lentorem sive crassitiem ; non tamen tanta aderat copia nec tot ac tales obstruktiones in variis locis , ut Tertiana duplex inde nasci potuerit. Uti de Nobili Scoto post mortem aper to refert Olaus Borrichius. observat. 91. in act. Thom. Bartholin. ann. 1671. cit. Clar. Bonet. in anat. praet. l. 4. f. 1. obs. 27. §. 4. neq; tanto lentore , ut quartana vel quintana inde oriri potuisset.

§. 38. Quoad Prognosin : hanc febrem in hoc subjecto minus periculosam esse judicamus , quia ejus ætati , temperamento , & parti anni convenit , juxta Hippocr. f. 2. aphor. 34. οὐδὲν νύσσοισιν ήσσον καὶ δυνέυσσιν δίσιν ἀν δικεῖη τῆς Φύσις . Καὶ τῆς ήλικίας , ηγή τῆς ἔξι , ηγή τῆς ὥρης ή νύσσης ή μόλλου , ή δισιν ἀν μὴ δικεῖη κατὰ τῶν τυτέων . hinc Scholtzius in aphorism. Med. sect. 7. §. 565. ex intermittentibus brevissima quidem & mitissima est tertiana : imò absque periculo patientis terminatur ; ut patet ex l. c. §. 562.

§. 39. Bonum itidem signum est , quod paroxysmus non ultra horas sex extendatur : facile enim tot horis interpositis natura vires recolligere potest , quò facilius novo morbi insultui resistat , eumque superet.

§. 40. Bonum quoque signum est hæmorrhagia nari-

um (quæ juxta Scholtzii aph. med. sect. 7. §. 600. alvi fluxum secuturum indicat) quia materia morbifica ex regione tam nobili evacuata, inflammationem vel alios morbos parere non potest & capitis dolorem talit.

§. 41. Interim quia Diætâ pravâ usus fuit ægrotus, morbum periculosiorem & longiorem prædicere licet, juxta aph. Hippocr. l. i. aph. 18. in primis cum sæpe in ipsa accessione, febris crudos fructus assumserit: contra aph. Hippocr. l. i. aph. II. εν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὕποσέλλεας χρῆ, τὸ περιθέναι γὰρ πλάπτει, καὶ οὐκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, εν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὕποσέλλεας χρῆ. videatur & aph. 19. ejusdem sect. τοῖσιν εν τῇσι περιόδοισι παροξυσμοῖσιν μηδὲν διδόνα, &c. & hæc de Prognosi.

§. 42. Pergimus jam ad ipsam curationem; Cum itaque natura ipsa inclinet ad vomitum bilis, & cruditates adhuc in stomacho hæreant & augeantur, & cum chylo quotidie misceantur, & novas obstructiones parere, vel putredinem concipere possint: præprimis conveniens videtur in hoc subiecto primo exhibere *Vomitorium*; idque eò facilius, quia huic constitutioni, tempore æstivo, maximè convenire, experientia loquitur. Cum igitur natura hanc sibi viam commodissimam quæsierit, erit omnino imitanda, secundum Hippocr. effatum. sect. I. aph 21. ἀλλήλῃσιν οὐκ ἀλλισα φέπη, τάυτη ἀγειν, Διοτῶν ξυμφεροντων χωρίων; & sect. 2. aph. 29. Hinc laud. Scholtzii aph. med. quoque sect. 7. §. 672. ex Aëtio inquit, Vomitus à cibo adeò excellit, ut multos noverim, hoc uno præsidio exactè sanatos, item §. 668. & 669. videri poterunt.

§. 43. Convenit verò vomitus manè jejunio stomacho, exhibito convenienti Emetico. ex gr.

℞ Sal. Vitriol. Emet. gr. xvij.

gumm. gutt. gr. iiij.

aq. centaur. min. ȝj.

M. f. potio. pro una dosi.

Vel si fortius velis,

Ret **T**art. **E**met. **M**ynsicht. gr. iij.

aq. cent. min. 3j.

M. d. pro una dosi.

Ubi vomitus primus successerit, conveniet haustus cerevisie calidæ, cum butyro recenti, ut eò melius eluatur bilis & cruditates vomitu vel etiam alvi dejectione excludantur.

§. 44. Cessante operatione Vomitorii, ægrotus ritè quiescat, per horam unam vel alteram, observans diætam huc spectantem, circa finem disput. subjungendam. Nec inconveniens erit, duabus ante prandium horis, exhibere pulv. seq. in potionē subjuncta.

Ret **O**c. 69. contus. 3j.

Tart. **V**itriolat. 3*fl.*

M. f. pulv. pro una dosi.

Ret **A**q. **T**arax.

endiv.

decoct. Tamarind.

tinctur. ros. aa. 3j.

M. f. potio. S. **E**in **T**räncklein zu dem Pulver,
& hæc quidem die intermissionis.

§. 45. Cùm verò paroxysmus timetur, abstinere conveniet, ab omni cibo, & in primis à crudis, quibus hic delectatur ægrotus. Nec somno facile indulget brevi ante paroxysmum; quia plerumque paroxysmus gravior succedit, & materia peccans copiosius in suprema regione colligitur.

§. 46. Nec alvus sic adstricta, quin potius leni clystere ex emollientibus & refrigerantibus, si necesse est juvetur; ex. gr.

Ret **H**erb. IV. emoll. aa. mj.

fl. sambuc. pij.

coq. in fl. q. aq. comm.

in colat. 3x. dissolv.

Elect. lenitiv. 3*fl.*

ol. chamomill. 3*j.*

M. f. Enema. duabus ante paroxysmum horis in-
jiciendum.

Sollicitari etiam potest suppositoriis officinalibus alvus.

§. 47. Abstineat quoq; à Venere: quicunq; enim febre correpti, in principio in primis febrium, Venereo actui indulgent, graviùs & longius affliguntur à febre. Id quod etiam accidit illis, qui affectibus animi nimium efferuntur vel suppressuntur; graviora enim (humoribus & spiritibus diversimodè motis) in paroxysmo sequantur symptomata, necesse est.

§. 48. Ante principium paroxysmi, nihil quidem magis quam quies queritur: Sed urgentiora symptomata, & imminens suffocationis periculum, cauti Medici auxilium postulant. Quale verò illud?

§. 49. Exhiberi posset medicamentum aperiens, incidens, attenuans, & ut vocant, Cordiale, quo obstructio melius expediatur, spiritus suppressus quasi resuscitetur, circulatio sanguinis promoveatur, & cor à materia morbifica cito liberetur, quod fieri posset seq. m.

℞ Spir. Sal. Armen. 3*fl.*

aq. è typh. cerv. 3*fl.*

§. 50. Aquæ è Typh. Cervi descriptio hæc est:

℞ Typh. Cerv. rec. incis. 1*lbj.*

rasur. unguil. Alc. 3*j.*

visc. quern.

colurn. aa. 3*fl.*

macerentur in succo citri crud. q. s. per quatrid.

l. a. adde

flor. primul.ver.

anth.

lil. convall.

beton.

beton. aa. 33.

vin. Malvatic. q.s.

macerentur iterum l. a. per triduum, inde l. a.
destill. ex vas. vitr. & serv. S. ut supra.

§. 51. Ab omni alio potu & cibo abstineat æger in
sigore, nec haustulus ipsi concedatur priusquam rigor ipsum
omnino deseruerit, & non minus nasus, quam totum cor-
pus reliquum, incaluerit.

§. 52. Interim si lipothymia tunc accederet, prædi-
cta potio vel similis repeti poterit, ex. gr. sequens, quo ma-
gno cum successu usus est æger.

℞ Aq. menth.

fænic. aa. 3ij.

vit. Math. 3iij.

Syrup. Myrt. 3j.

M. f. potus. S. Kräftigung in dem Frost zu nehmen.

§. 53. Naribus nodulus ex speciebus cordialibus in
aqua Cartunculi vel aquâ miraculosâ Danicâ madefactus,
sæpius admoveatur. Pulsibus & cordi etiam epithematibus
ex iisdem prospici posset.

§. 54. Nec inconveniens erit frictio corporis cum
linteis calefactis: in primis vero illæ partes, in quibus rigor
maxime sentitur, linteis calidis foveri possunt.

§. 55. Hic & commode in usum traheretur lapis il-
le, Pumici quodammodo similis, qui ex Anglia ad nos de-
vehitur, & stupendos effectus in sphacelo, hydrole, lipothy-
miis, diffcili partu, & multis aliis affectibus, edidit; ut in
duobus tractat. De hoc lapide, (*Warmenstein*) fusius docetur
a Viris Celeberrimis, & generis splendore conspicuis: Con-
gelationes enim sanguinis impedit, motum ejus promovet,
& spiritus ipsos, quasi exaltat, &c.

§. 56. Poterit quoque corpus aptis tegumentis satis
bene

bene muniri; his enim deficientibus, ægri se calefieri posse,
vix credunt; Sed hæc in rigore.

§. 57. Ubi verò is cessat, & æstus insignis ingruit,
hæc crunt removenda, & corpus levioribus saltem tegendum.

§. 58. Maximè etiam tunc attendenda videtur *lipothymia*, quæ vel præcavenda, vel abigenda, seq. potiunculâ, quam Medicus laudatissimus huic ægroto præscripsit, & seq. modo composita fuit.

℞ Aq. bortag.

bugloss. aa. 3ij.

cinamom. 3j.

confect. hyacinth. 3j.

Syrup. papav. errat. 3j.

Spir. Sal. dulc. g. x. M.

Hæc mixtura sitim & æstuin febrilem modicè temperavit, spiritus vegetos reddidit, & appetitum postea promovit.

§. 59. Poterunt hic, & epithemata pulsuum & cordi, commodè usurpari, de quibus antea.

§. 60. Anxietati circa præcordia & respirationi diffici- li, opposita fuit etiam modò præscripta potio: Nec inconveniens erat sequens.

℞ Aq. cord. frig: Saxon.

cord. è typh. supr. descript. aa. 3ij.

Margarit. contus. 3j.

laud. opiat. opt. ppt. gr. ij.

M. f. potio. Dos. pro ratione necessitatis & lipothymiæ frequentiâ iterata, cochlearia duo, vel ad sumnum tria.

§. 61. Calor acris & mordax & linguæ siccitas, sublata fuit seq.

℞ Aq.

Rx Aq. cichor. ℥vj.

ros. ſij.

Syrup. Viol. ſiſ.

Spir. Vitriol. q. f. ad gratiam.

M. f. julep.

Vel

Rx hord. mund. ad crep. coct. ſiſ.

ſem. papav. alb. ſij.

cum aq. decoct. hord. f. q.

f. emulſ. ſxv. add.

julep. roſat. ſiſ.

aq. fœnic. ſj.

M. d. subinde haſtulus.

§. 62. Hisce cum ſitis extingui non potuerit, acidulas Svalbacenses bibt; mixtas cum Vino Rhenano, iisque pcpasnum turbavit, & febrem auxit.

§. 63. Magis conveniens fuifſet julapium ex aq. Tonitruali artif. cuius ingredientia cum Clyſſo Minerali haud parūm convenient: Vel tinctur. ros. ritè confecta, vel ptifana, aut apozema conveniens, ſecundum formulas paſſim apud Authores deſcriptas, & hic convenientes, parata.

§. 64. Ne verò nimiā copiā ægrotus aſſummat potum, ſitis interduim fallenda eſt, refrigeratione linguæ, & collutione oris: ſuadet in hunc finem, Scholtzius c. f. §. 598. pruna ex aq. frig. mucilag. ſem. cydon. psyll. vel ſimil. quibus nos tamen præferimus collutionem oris & gargarificationem cum aqua nitratâ, vel aceto & aqua. Laudat ad hunc ſcopum Mindererus in Med. milit. masticationem panis domesti-ci aridi, &c. alii laudant masticationem ceras. nigr. ſiccata. Tamarind. prunell. acetos. vel ſimiliūm; alii ſuadent ut cryſtallus vel moneta argentea in ore teneantur; alii alia, ex gr.

Rx citr. recent. n. i.

dissec. in taleolos; asperg. sach. ponantur in patina, impletâ aq. ros. s̄epius invertendo taleolos. Utuntur partim hâc aquâ in ore eam detinendo, vel interdum deglutiendo, vel etiam taleolis citri masticando.

§. 65. Capitis dolor & deliria mitigari poterant, tum abstinentiâ à vino in paroxysmo; tum antecedentibus refri- gerantibus, tum epithemate frontis, quale describit *Leonell. Faventin. de Victor. in pract. medicin. l. de febr. p. 687.* Nos laudabimus sequens.

℞ Trochisc. de rad. Rhod. **Minsicht.** ʒj.

Sieff. alb. cum op. ʒj.

nucl. pers. ʒj.

sem. 4. frig. maj. ʒʒ.

aq. verben.

lactuc. aa. q. f. contund.

f. epithem. frontis, addend. circa fin.

aliquid acet. sambucin.

§. 66. Non parùm quoque hoc passu juvabit epithema plantis pedum applicatum, sequens.

℞ mass. farin. acid. ℔j.

Sapon. unctuos. virid. ʒiij.

Sal. domest. ʒj.

acet. ros. q. f. pro consistentia pultis crassioris.

M. super igne lento & applica cum linteis. Hoc enim epithema insignem æstum ex plantis pedum trahit, adeò ut constet, in lue Ungarica omnem capitum dolorem hoc modo in pedes tractum fuisse.

§. 67. Hæc tamen epithemata removenda erant, ubi paroxysmus solvi in sudores videbatur, & linteis calidis frons debebat abstergi, nec ægro concedendum erat, ut denudaret corpus vel artus, quin potius sudor sensim dictis pannis erat abstergendus, & quasi evocandus.

§. 68. Post

§. 68. Post paroxysmum quoque, ubi alvi dejectiones succedebant, ægrotus exonerans ventrem, ab injuriis aëris erat præcavendus diligentissimè; interim tamen fluxus non erat cohibendus, quia criticus, materiam morbificam crassiorem sequestratam eliminans; hinc rectè Scholtzius, c. s. aph. 587. & 598. dicit: Si febricitanti venter fluat, ne restringas, donec deficere videris ægrotum.

§. 69. Cessantibus postea alvi dejectionibus, quiescere adhuc poterat ægrotus in lecto, per horam unam vel alteram, prout pro virium refectione, necesse videbatur; deinde bene indutus, ex cubiculo in aliud conclave se conferat, ubi, si appetitus urget, cibum capiet non facilè corruptibilem, debito modo & quantitate, ut circa finem dicetur.

§. 70. Horis tribus ab assunto cibo, utile erit, denudò assumere pulv. ex oc. 69. & Tart. Vitr. antea descriptum, cum potionē adjuncta; vel similibus digestivis, aliis verò medicamentis abstinere.

§. 71. Sequenti die intercalari, non verebimur suadere ægroto nostro medicamentum purgans benignius; cùm natura ipsa nobis monstret viam hanc; ita usus est hic ægrotus decocto fol. Senn. cum elect. de prun. cuius operatio benigna & blanda fuit; Vel

Rx Magist. jalap. gr. xxiv.

Solv. in Sp. lil. convall. 3j. exactiss. add.
conserv. tot. citr. recent. 3ß.

Syrup. viol. Martial. 3ij. M.

d. l. a. S. Laxier Zucker auf viel mahl.

§. 72. Succedit post usum dosis convenientis hujus laxativi, diæta, purgantibus usis, familiaris & necessaria, quam hic addere super sedemus, quia plurimis nota est, & passim descripta extat.

§. 73. Ubi sequens dies alluxerit, eadem observanda, & in usum trahenda esse, credimus, (si paroxysmus redierit) quæ antea suasimus, febre appropinquante, & affligente: neq; etiam necessarium fore existimamus hic ea repetere, quæ post finitum paroxysmum, adhibenda supra suasimus; neque etiam temerè mutabimus prædicta, cùm optimè convenerint ægroto.

§. 74. Hoc verò monendum adhuc videtur, quod vigiliis illis nimiis, (si adhuc ægri vires exhaudire, & sanguinem acuere, perseverent,) sit circa sequentem noctem occurrentum; quod factum in hoc ægroto, pillul. ex laud. opiat. parat. quorum unam (gr. & ponderis) spatio semihoræ in Emulsione supra notata assumpsit, & ad summum, non succedente somno, octo pillulas unâ nocte adhibuit.

§. 75. His duobus Medicamentis, motus nimius spirituum & materiæ morbificæ, fuit moderatus, & symptomata omnia sequenti paroxysmo imminuta: quies quoque corporis secuta est amoenissima, ipsique maximè necessaria (à motu enim quovis, vel leviore etiam inquietudine, insignem lassitudinem sensit) juxta Hippocr. sect. 2. aph. 48. ἐπάση κινήσει τῇ σώματι, ὄχοται ἀρχηται, ποτέειν, τὸ Διαγνωπάνειν θύρας, αἴκοπον.

§. 76. Hisce remediis usus fuit æger prædictus, usque post quartum paroxysmum, ubi hæmorrhagia narium, sanguinis missionem indicare & postulare credens, Medico incisio Venam aperire jussit, & sanguinem ad plures Uncias extraxit; sed infelici cum successu: febris enim longè austior rediit, & lipothymia & deliriis ægrum ferè confecit, unde quoque morbus haud parùm extensus fuit.

§. 77. Postquam verò prædictis Pharmacis malum paùlo depresso fuit, ita ut saltem fermentum febrile relictum sine fomite videretur, sequentibus usus est,

℞ Aq. petrosel.

fænic. aa. ȝij.

Spir. Sal. Ammon. gtt. xij.

laud. opiat. gr. ij.

Syrup. papav. errat. ȝvj. M.

hauriat ante paroxysmum.

Item

℞ Aq. fænic. ȝj.

Sal. absynth. ȝj.

Sp. Vitr. gr. vj.

laud. opiat. gr. j.

Syrup. acetos. citr. ȝȝ. M.

pro uno haustu.

§. 87. Maximè quoque ipsi semper profuit Sp. ammon. hic enim sanguinem à coagulatione liberavit, concoctionem cruditatum adjuvit, pepasimum promovit, obstrunctiones solvit, atque adeò multis modis curationem acceleravit.

§. 79. Sunt qui in declinatione mali suadent usum cort. Peruvianæ, vel Chinam Chinæ, quam in pulverem redigunt, & in convenienti vehiculo, ante paroxysmum jejuno stomacho exhibent, & ad minimum, jejunium sex vel octo horarum præcipiunt, atque adeò febrem radicaliter se tollere posse confidunt: quorum experientiæ fidem derogare non possum, cùm exempla quotidiana idem testentur, & felix successus ferè semper promissis respondeat: cautè tamen, & nonnisi priùs probè purgato corpore, hoc remedio utendum esse censem alii; cùm aliquando obstructiones pariant, & hydropicos, successu temporis efficiant.

§. 80. Sunt, qui externis, ex gr. amuletis, epithematibus pulsuum, sive emplastris febrifugis, vel etiam superstitionis remedii ad eliminandum hoc malum, utuntur:

sic ex priorum numero est nodulus ex collo usque in scro-
biculum cordis suspendendus, ex camphor. 3j. vel 3*fl.* &
sem. hyosciam. alb. 3j. Alii sub alis talcolos novem ra-
dicis cynoglossi alligant: alii pulsibus, epithemata, ex te-
lis aranearum, rasura raphani, allio viridi, ranunculo
caustico, micâ panis, aceto rutaceo, & similibus, ap-
plicant; Vel emplastro febrifugo Helmontii & hujusmo-
di multis: quæ omnia cautè adhibita, non rejicienda es-
se, nobis persuademus.

§. 81. Ea tamen, quæ meram superstitionem re-
dolent, omnino damnamus; qualis projectio seminis ur-
ticæ, in ipso ortu solis, in nomine illius qui febricitat:
Amuletum ex ABRACADABRA, & similiū verbo-
rum, &c. Per hæc enim neque per magnetismum, ne-
que per ullum licitum & naturalem modum, operationem
aliquam in corpore nostro, fieri posse, credimus. Sed
hæc pro ratione instituti de curatione, dicta, hâc vice
sufficiant. Sequitur jam ut paucis etiam agamus de diæ-
ta extra paroxysmum, quæ consistit potissimum in legi-
timo & convenienti usu sex rerum non naturalium.

§. 82. Ante omnia igitur conveniet ægroto nostro,
aer purus, serenus, non frigidus, sed ad frigiditatem
temperatam inclinans, hoc est frigidiusculus; habitabit
itaque ægtotus noster versus septentrionem, non longè
à sylvis & pratis virentibus, fontibus & rivulis quibus-
dam irriguis; Cubiculum ejus stratum sit foliis rosarum,
salicis nymphæ, plantaginis, portulacæ, solani, lactucæ &
similiū.

§. 83. Cibus in genere sit paucus & tenuis, ne ex nimia
ingestione, cruditates generentur, & spiritus à subigen-
da materia morbifica avocentur ad concoquendum ci-
bum; Alimenta itaque sint facilioris digestionis, nec
humidæ.

humiditate nimiâ, nec partibus pluribus Sulphureis, acribus, constantia; ne vel causa morbi foveatur, vel accensioni sanguinis ansa præbeatur: Cibi itaque assumantur ἔυχυμοι, ἔυπεπλοι, ut spiritus nimiâ phlogosi absumti, restituantur; tales cibi sunt, juscula pullorum gallinaceorum, caponum, & pulli columbini. Juscula alterantia, quibus radix petroselini, mentha, majorana, acetos. &c. incocta, magni in hoc affectu habentur à Venerando Senne, JOH. CASP. BAUHINO, Praxeos in Academia Basiliensi Professore Celeberrimo: Carnes verò grandiorum pecorum, cum ventriculum onerent, & difficulter concoquantur, non suademus, minime autem assatas, tostas vel fumo induratas; quia acres humores cumulant, adustum & calidum succum augent, & ita ad aggravandum affectum, & malum prolongandum faciunt. Pisces, quia citò corrumpuntur, putrescunt, & materiam febrilem fovent, fugiat ægrotus; fructibus horrariis crudis, nunquam; coctis parciius utatur; cum enim corruptis humoribus, ventriculus hujus ægroti oneretur, facilimè fructus crudi in stomacho putrescent, vel crudiorem, sed acrem admodùm, succum suppeditabunt, qui aliquando in spiritus maximè activos & penetrantes resolvitur; ut constat ex vino spurio, vel spiritu adusto, qui ex illis conficiuntur: Ex his etiam facile tormina ventris, ob rationem vel tensionem intestinalium, generantur, & anxietates circa præcordia tantæ fiunt, ut homo sæpius suffocationis periculum incurrat; cui malo tamen certus usus camphoræ, quasi incantamentum medetur. Lacticiniis, & verbo, omnibus facile putrescentibus, & obstructiones, vel bilem augentibus, abstineat: Neque tamen suaderem ægroto nostro, ut laudatis antea cibis, nullo servato ordine, nullo respectu habito ad tempus, nullo observato modo in assumendo, nec certâ

certâ quantitate exactissimè destinatâ, utatur, sâpe enim cibus, qualitate sanus, morbos parit, intemperanter quovis tempore devoratus; Vellem igitur potius, ut in cœna, quæ sequetur paroxysmum, utatur saltē juscule aliquo alterato, prunellis, cerasis acidis arefactis coctis, vel similibus, cum mica panis albi, quæ tamen bene prius masticata & non copiosè simul ingesta, deglutire conveniet. Quoad quantitatem, concedemus jusculi ad Uncias septem vel octo & panis optimè cocti, & parum saliti, ad Unciam unam, vel ad summuin (si urgeat fames) duas; abstinentiâ enim, multi & magni morbi curantur, ex effato Hippocratis (hinc antiqui præcipiebant jejunium quatriuum in principio) è contrâ intemperantia nutrix Medicorum dicitur, imò mater mortis vocari posset: Sed hæc de cœna.

§. 84. Prandium in die intercalari, quod concernit, si carnibus omnino abstinere nolit, concedantur ex carnibus supra concessis, post assumti jusculi 3v, carnis 3j. quæ tamen probè debet esse cocta, & herbis prædictis vel similibus à putrefactione præservata; aliâs facilè nidorem concipit, & cadaverata, fermento febrili acceptissimam præbet fomitem; panis quoque prædicti ad 3ij. simul commedere poterit. Conveniet & potus, de quo jam agendum.

§. 85. Pro potu ordinario extra Paroxysmum variii Medici suadent varia, sic laudat quidam seq.

R^c Hord. mund. elec^tiss. Mij.

passular. min. exacinat. & incis. ℥^{ss}.

taleol. citr. matur. crud. mediocr. dimid.

cinnamom. acut. ʒi^{ss}.

Tart. crud. 3j. quidam add.

Tamarind. rec. 3ij. vel

ceras. acid. carn. ʒi^{ss}.

affund. aq. fontan. puriss. mens. j. per 24. horas:

sæpius

sæpius movent sine coctione, donec in gratum
abeat potum.

§. 86. Potui vini aliqui Authorum penitus interdicunt; nos tamen moderatum ejusdem, die intermissionis (præsertim si æger assuetus fuerit) & concedimus & commendamus, nempe (ut Scholtzius) Aph. Med. 647. s. I. Vinum in febribus tum admittitur, ubi signa concoctæ materiæ in urina manifestè apparent, & cùm febris est in declinatione, & sit vinum album, tenue, non vetus, & non novum, & aquâ frigidâ mixtum, sic enim omnes vacuationes promovet, & per urinam & per sudorem. Nec inconveniens fuisset usus acidularum moderatus, nempe Svvalbacensium, vel Tœnychsteinensium, quas tamen in teneriore ætate & constitutione aliâs satis tutò admitti posse, non credimus.

§. 87. Acidulis verò non utetur in prandio vel cœna, ne coctio turbetur & cruditates diureticâ vi acidularum, ex stomacho expulsæ, hinc inde obstructiones pariant, sed potius, si sitis nimium urgeat, matutino tempore vel horis circiter quatuor post prandium.

§. 88. Nolumus verò, ut ultra ȝiiij. vel iiiij. unâ vice de his hauriat, neque enim ante declinationem febris & priusquam bene purgatum sit corpus, autem quotidie dosinbibendo, admittimus, uti quidem illi facere assueverunt, qui acidulis pro curatione utuntur.

§. 89. De cæteris potibus concessis, hoc monendum videtur, ne assumantur manè jejuno stomacho, vel brevi ante cœnam, ne impediatur postea concoctio ciborum, dum fermentum stomachi, hoc modo cluitur, & ventriculus, ceu pars membranosa & nervis satis donata à frigido haustu læditur; mallem enim

mane, si sitis urgeat, concedere assumptionem Unciarum aliquot jusculi alterati in die intermissionis: & ante coenam, masticationem Tarainindorum, vel ceras. acid. siccatorum vel similium.

§. 90. In prandio verò bibere etiam parcè debebit, quia omnia ferè, quæ assumit, humida sunt; sufficiens tamen debet esse quantitas, ne quasi comburatur ægrotus & exsicetur à siti intolerabili; sitim enim tolerare martyrium est sine juvamento, quia (dicit Scholtz Aph. 645. d. f.) virtutem debilitat, febres inflamat, vigilias cum angustia multiplicat, concoctionemque retardat; Quapropter nec hic certam præscribere possumus quantitatem, sed à necessitate & præsentis Medici consilio exacto, determinandam relinquimus.

§. 91. Interim tamen cavebit ægrotus, ne toties, quoties fortè lingua siccescet, statim bibat (ubi interdum prædicta collutoria & in ore masticata sufficiunt) neque uno haustu nimiùm unâ vice infundat, neque nimis frigidum bibat, neque brevi ante vel post assumptionem jusculi, neque etiam brevi ante somnum, vel immediate post prandium &c.

§. 92. Post prandium assumtum, primò ægrotus per horam leniter saltem obambulet; præcedat quoque prandium, motus non concitatus, non vires exauriens vel ludorem provocans, sed benignus, & laudabilis, qui etiam tempore intercalari prandii & coenæ sine omni noxa admitti poterit, ita tamen, ut ægrotus horâ unâ priusquam assumat victum à motu desistat.

§. 93. Motum excipit quies, quæ viribus reficiendis sufficiens in loco convenienti, de quo antea, capi poterit.

§. 94. Si possibile, natura assuefiat, ut quotidie, summo mane, & priusquam cubitum eat ægrotus, alvum exone-

exoneret. Nec urina debita quantitate excernenda, remo-
retur ; nec sudores mediocres , si his fortè assuetus sit æ-
grotus , nec hæmorrhoides , &c. diutiùs quàm par est in
corpore remaneant, sed excernantur debitâ quantitate, tem-
pore, modo, loco, &c. vel, si segnior videatur natura, in
hoc negotio, adjuvetur convenientibus remediis, de quibus
hâc vice specialius agere nimis longum foret.

§. 95. Cùm verò *pathemata animi* , sensibiliter san-
guinem alterandi vi polleant, & in hoc morbo quam maxi-
mè nocere possint , profligandam suademus ante omnia
iram , in quam hoc morbo affecti , ferè semper proniores
sunt, quàm par est ; nec minus fugiat tristitiam , curas &
meditationes profundas ; notissimum enim est iram in-
flammare aliquando sanguinem & ipsos spiritus, ita ut ægro-
tus non saltem morbum hunc augere possit , sed & pronus
fiat in apoplexiam, phrenitidem , vel alios gravissimos mor-
bos.

§. 66. Sic quoque tristitia spiritus quasi supprimit &
coagulat; sanguinem ipsum crassiorem reddit, & obstruc-
tiones augere potest.

§. 97. E contra verò gaudium moderatum perennans,
dimidium curationis est, reficit enim insigniter spiritus, san-
guinis circulationem expedit, & corpus, quasi novis viribus
instruit.


§. 98. Curæ verò & meditationes profundæ , dum
spiritus exhauriunt, & sanguinem iis turbatum in corde &
in cerebro accumulant, totum corpus quoque exsiccant, non
parum etiam ad hunc affectum aggravandum facient.

§. 99. Somnum quod concernit, nocturnus, qui non
ultra septem horas extenditur, post horas duas à cœna assum-
ta, competit; quia coctionem adjuvat, spiritus reficit, &c.
In paroxysmi verò principio haud immerito detestatur, cùm

sanguinem quasi coagulet, & suffocationem cordis accelerare possit. Sic nec meridianum approbamus, ut authorem plurium morborum, & imprimis catarrhorum; In declinatione tamen paroxysmi (illis imprimis qui assueti sunt) permetti potest; sudor enim tunc felicius expellitur, sine insinjactura virium, ut experientia testatur.

§. 100. Vigilias hic non præcipimus, cùm jamdum adsint nimiæ, quæ tolli poterunt tum antecedentibus internis, tum etiam externis variis; ex. gr. Unguento Hypnot Mynsicht. epithemat. temporum convenientibus, aliisque innumeris, apud practicos, fusè descriptis.

Et hæc sunt quæ ratione temporis & chartæ hâc vice Benevoli Lectoris amicæ censuræ, subjicere debui, si quid fortè humani passus in his ero, hoc me consolatur, quod idem fatum etiam magnæ Medicæ Artis Lumib[us] obtigerit.



G Rata ministratur Platano potantibus umbra,
Et calidos artus frigidula illa levat.

ANHORN! suavis Musis cantantibus umbra es,
Ha Tibi conatus sedulitate juvant.

Vita brevis, longa est ars, experientia fallax;
Certa hæc sit, brevis ars, vitaque longa Tibi.

Gratulor his studiis salso sudore paratis;

Nam Superi vendunt dona labore gravi.

Nobil. atque CLmo Dn. Candid. ANHORNIO
cum omnis boni voto contestatur

mentem francam

GEORGIVS FRANCVS, Med. & Ph. D.
P.P. Academ. Curios.